



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorvm

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

41. De vtilitate, quam contemplati erga alios operantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

QVOD CONTEMPLATIVI ALIIS
etiam multum proficiunt.

CAPVT XLI.

C Onsequenter ostendendum est personas contemplatiuas, non solum sibiipsis, verum etiam alijs non modicum esse proficuas. Primo, eo quod alijs præbent exemplum benè viuendi, operibus prædicantes Deum super omnia esse amandum, & cuncta esse vanitatem, & ideo contemnenda. Et hæc nō est parui pendenda doctrina sed tanto præstantior, quanto opera constant de fictione minus esse suspecta quam verba. Rursus contemplatiui per suas deuotas orationes alijs omnibus prosunt, sed & sæpè euenit, vt hominibus negotijs mundi detritis, quamvis sceleratis, eorum meritis Deus aliquot magnum conferat, scilicet pacem: nihil enim possimus sine speciali Dei gratia: quam citius à Deo impetrant veri contemplatiui, quam actiui. Sunt autem contemplatiui in Ecclesia sicut oculi in corpore illuminantes, & dirigentes vniuersa, quæ per alia membra fiunt. Et si oculi non laborant sicut manus & pedes, non propter hoc manus vel pes dicere habet quod oculi non nisi sibiipsis proficiunt. Talium siquidem contemplatiuorum est, aliorum qui non sunt ita illuminati, & ad spiritualia eleuati, opera dirigere, & in Deum referre. nam qui cor ad superna eleuatum habent, etiam si in seculo commorentur, per seipso sciunt, & poterunt in Deum ea quæ agunt bona, sicut in finem ordinare. Veruntamen non dico quod in casu ne-
cessita-

cessitatis, contemplatius non habeat suā contemplationem prætermittere, scilicet ad subueniendum alterius necessitati. Qui verò vtramq; simul, & perfectè vitam tenere posset, iste esset melior: sicut beatus Gregorius, & B. Bernardus & alij Sancti tenuerunt. Et qui diligenter aduerteret quantum anima, & spiritualia bona excedint corpus & bona temporalia, iste palam cognosceret, quod ad succurrendum aliorum necessitatibus corporalibus, plus proficit toti Ecclesiæ vna alicuius viri contemplatiui oratio, quam bis centum eorum, qui operibus actiuxit vitæ sua sponte & non ex obedientia intendunt. Et longè plus proficiunt quam si in mundo se occuparent non ad succurrendum alijs, sed pro commodis proprijs, & interdum in damnum aliorum. Itaque dico quod si quis ad vacandum vitæ contemplatiæ se instinctu Spiritus sancti senserit inclinari, aut moueri, & hoc alicuius viri spiritualis consilio agnouerit, non confidens in seipso, eo quod facile posset decipi, recipiens angelum Sathanæ pro angelo lucis, iste talis sine vituperio actiuxit poterit se dare vitæ contemplatiæ, & hoc erit in eo laudabile, & non modicam propter hoc recipiet in cœlis mercedem: nisi forte per contrarium talis Prælato suo obedire teneretur, seu aliquod publicum officium exercere, aut alicui in casu vrgétis vel extremæ necessitatis subuenire. Vrgentem dico necessitatem, cum esset verisimile, quod aliqui possent in corpore vel anima perire, si ipse eis valens remedium non impenderet.

OSTEN